



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

IV. Si quis putat se grauari a proprio metropolitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

III.

Placuit, vt accusatus vel iudicatus a comprouincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, & adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quamquam a comprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo, & non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* 3. qu. 6. Accusatus. Math. 16.

IV.

Si quis putauerit se a proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceseos, aut penes vniuersalis apostolicæ ecclesiæ papam, iudicetur. 2. qu. 6. Si quis putauerit.

V.

Accusatores & accusationes, quas leges sæculi non adsciscunt, & nos vnanimiter submouemus. Nec fiat in districta probatione impietas, cum recta sit iudicii in electione sententia. 3. qu. 5. Accusatores.

VI.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque eius episcopi voluntate, vel iudicare, salua tamen in omnibus apostolica auctoritate: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio: quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.

VII.

Si quis erga episcopum, vel actores ecclesiæ, se proprium habere crediderit negotium, non prius adeat iudices, quam ad eos recurat caritatis studio, vt familiari colloquio commoniti, ea sanare debeant quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communionem priuetur. 2. q. 7. Si quis erga. & in decret. Alex. pap.

VIII.

Nemo pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus, aut a sede pulsum, excommunicare 2. q. 2. Nullus potest conuocari.